relinquuntur. Quod si bona omnia ita sint confusa, ut, quid patrimoniale sit, & quid Ecclesiæ intuitu acquisitum, dignosci non possit, in quatuor partes peculium dividendum erit, cujus una pars, Ecclesiæ: altera, Episcopo: tertia, pauperibus: quarta, vel parentibus, vel aliis cognatis & propinquis, assignanda erit. Cum etiam Testamentorum causa, pia sit, ad Ecclesiæ curam & audientiam, ut hujus scilicet auxilio ad exitum perducatur, quandoque pertinere putatur. Hinc *Tituli 25. de peculio Clericorum. 26. de Testamentis & ultimis voluntatibus. 27. de successibus ab intestato.* De Parochiis & jure Parochiali, quod consistit in jure funerandi, de mandandi, percipiendi primitias, oblationes, alioque proventus, unde quaque debitos, graves etiam quandoque quæstiones, ut causis prorsus Ecclesiasticis & spiritualibus, in auditorio Ecclesiastico agitari solent: Ideo de his etiam peculiare hic dantur *Tituli 28. de Sepulturis. 29. de Parochis, & alienis Parochianis. 30. de decimis, primitiis, & oblationibus.* De Monachis etiam, regularibus sive religiosi, eorum statu, domibus, & capellis, variæ sæpe quæstiones ad audientiam Ecclesiasticam deduci solent. *Monachi* dicuntur, non a $\mu\omicron\delta\omicron$ & $\alpha\chi\omicron$, ut Azo tradidit, quod soli sint & coram mundo tristes: sed ex eo, quod solitudinariam vitam agant, & certæ regulæ, &

C

reli-

religioni sese obstrinxerint & Ecclesie
 sese veluti servos addixerint. Secta
 summa & primaria quatuor numerantur
 enim sunt *Cænobita*, Alii *Anchora*
Eremita, alii *Curovagi*, *circumcellani*
incerta instabilique sede hinc inde
 Qui rursus in infinitos abeunt ordines
 regulis & observationibus distinctos.
 & *Regulares*, *Canonici*, & *religiosi* quos
vocantur. Qui a suis authoribus ut plerumque
 denominantur. Horum superior &
 ctus, nonnunquam *Abbas*, quandoque
mandrita, quandoque *Archimonachus*,
 doque etiam *Cænobiarcha* appellatur.
 tus eorum duplici potissimum modo
 rari potest, quoad acquisitionem sive
 nem, & acquisiti sive adepti, retentionem
 legitimam & gestionem. Acquiritur
 Monachalis, sive (quod idem est) *Monachalis*
 fiunt, aut paterna devotione, aut propria
 propria, expressa vel tacita, aut voto
 vel simplici. *Ex paterna devotione*
Monachus, cum pater filium impuberem
 nasterio offert: isque pubes factus, post
 probationis inde egredi rursus nolit. *Ex*
pria professione fit Monachus, qui sese
 cuius ordinis & religionis regulæ & obser-
 tia, vel expresse, vel tacite, obligat
 stringit. *Expressa obligatio sive promissio*
 quæ expressis, & ad voluntatem promissio

cognoscendam, aptis & accommodis verbis fit, ad hunc fere modum, ut scilicet novus religiosus professurus, pubes vel coram Abbate, Priore, alteriusve nominis praelato, vel coram simplici etiam Monacho, vel Religioso, a praelato mandatum habente, ejus religionis, quam ipse sibi delegit, promissionem accipiente, conventu presentia promissionem faciat, scilicet, se Deo, & sanctis ejus, & praelato promittere, quantum auxilii sibi Deus concesserit, operam navaturum, ut castitatem & continentiam, pro imbecillitate humana servet inviolatam, ut praelato obedientiam & observantiam, ex ipsius regule preceptis debitam, praestet, & patrimonii abdicacionem faciat: scriptura & attestacione interveniente, qua in casu abnegationis, enixa profitentis voluntas demonstrari possit. *Tacita promissio est*, si quis gestu & habitu profitendi voluntatem declaret: veluti, si quis ultra probationis tempus, in monasterio manserit, vel habitum, sive is novitiis & professis, communis sit & indistinctus, sive professorum proprius & distinctus, post annum probationis elapsum retinuerit. Is quoque qui *votum de ingressu religionis alicujus*, compositionis & deliberato animo fecit, ut Monachus fiat, & votum impleat, cogendus erit: adeo quidem, ut etiam si post votum, praelaturam fuerit consecutus, Domino tamen pro-

C 2

missa

missa reddere sit compellendus. Etho-
 tum hoc in proposito duplex, aliud in
 aliud solenne. *Simplex* est nuda pro
 nulla professione, neque expressa, nec
 cita, munita. *Solenne* contra est pro
 non nuda, sed professione aliqua vel ex-
 pressa, vel tacita, munita & vestita. Porro
 Monachalis, supradictum ad modum
 acquisiti & adepti, possessio, retentio,
 usque legitimus, consistit in observatione
 Statutorum *ἢ διατάγματων* quae
 fere sunt ista. Votum castitatis, paupertatis
 & obedientiae, Abdicatio proprietatis vel
 trimonii, Silentium certo loco & tempore
 praestandum, Abstinencia carnum certo
 tempore, Habitus & vestitus suo ordini & profes-
 sioni decens & conveniens, & ut a Cameracensi
 lineis indusiis abstineant. Ut in claustris
 monasteriis suis perpetuo sese contineant,
 extra illa evagentur. Ne sint otiosi unquam
 sed semper honesto operi intenti. Ut
 omnibus actibus civilibus & secularibus
 cum consensu praelati sui, prorsus abstinere.
 De capellis Monachorum, & aliis religio-
 sis domibus, ad pium usum deputatis, sunt
 Xenodochia, Orphanotrophia, Brephotro-
 trophia, Nosocomia, & Gerontocomia,
 constituitur, ut juxta Ecclesias parochiales
 construuntur, & jurisdictioni & visitationi
 Episcopi, in cuius territorio sive diocesi

sunt, subjiciantur, nisi vel speciali privilegio, vel legitima præscriptione, a jurisdictione ejus exempta probentur. Hinc dantur *Tituli* 31. *de Regularibus & transeuntibus ad religionem.* 32. *de conversione conjugatorum.* 33. *de conversione infidelium.* 34. *de voto & voti redemptione.* 35. *de statu Monachorum & Canonicorum regularium.* 36. *de religiosis domibus, ut Episcopo sint subiecta* 37. *de Capellis Monachorum & aliorum religiosorum.*

De jure etiam Patronatus Ecclesiastici, ut causa quoque mere Ecclesiastica, in judicio Ecclesiastico, gravissimæ sæpe quæstiones & contentiones moventur. Unde datur *Titulus* 38. *de Jure patronatus,* jus illud, quod competit patrono, vel ex novæ Ecclesiæ constructione & fundatione: vel ex ruinosa & collapsæ reparatione ac restauratione: vel ex indotata, quorundam bonorum & reddituum dotatione. Jus autem illud, quod ex his causis patrono acquiritur, in quatuor hisce consistit. 1. In præsentatione Rectoris Ecclesiæ vacantis, intra tempus legitimum, idonei, ab Episcopo Diocesano instituendi. 2. In patrocinio, advocatia, cura, tutela, protectione & defensione Ecclesiæ. Unde si institutum & ordinatum a diocesano, inutilem Ecclesiæ cognoverit, ut quia forte frugi non sit, sed dilapidator, bonorumque concoctor, vel ipse patronus, eum honesta conventionem rescere, aut Episcopo vel Judici competenti,

compescendum, recte denunciare potest. In necessario vitæ subsidio: nam si forte troni, vel filii eorum eo inopiâ redierint, ut auxilio aliorum indigeant, illi destitute, & pro temporis usu, ab eadem Ecclesia succurrendum erit. 4. In honore, ratione consensus, vel processus: nam vel confessoribus, vel procedentibus, atque urbem vel Ecclesiam, supplicationis gratia ambientibus Ecclesiæ ipsius Clericis primus eximiusque ordine locus patrono debetur.

Creberrimæ etiam quæstiones & contentiones, in iudicio Ecclesiastico gliscunt de *Contributibus sive pensionibus annuis*, quæ de personis Ecclesiasticis & præbendis, in recognitionem, non quidem dominii semper, sed quædamque etiam subjectionis alicujus, Ecclesiæ persolvendæ sunt: Item *de Exactionibus*, quæ iuxta aliquam causam, vel rationem personarum vel facultatum, vel negotii, vel alterius cuiusdam rei, extraordinarie Ecclesiæ pendendæ sunt collectæ, vectigalia, telonaria, pedagagia, Salinaria, & alia munera personalia, & patrimonialia: Item *de Procuracionibus*, hoc est sumptibus, qui Ecclesiæ, ejusdemque ministris & visitatoribus debentur: Item *de consuetudine Ecclesiarum & altarium*, quæ faciendæ sunt est a diocesano, aquæ benedictæ aspersio, Crismatis unctio, crucis erectio, orationibus & benedictionibus usitatis & consuetis.

Item, de Sacramentorum, Missa, Eucharistia, Baptismi, Chrismatis, & aliorum, celebratione, administratione, consecratione, custodia, usurpatione sobria & modesta, effectu, necessitate, adeo, ut nemo in presbyterum ordinandus sit, qui non sit baptizatus: Item, de Reliquiis & veneratione Sanctorum, quæ non tam in cultu divino ipsis exhibendo, ἀποθεώσει, & canonisatione, quam imitatione consistit: Apostolo monente: Imitatores mei estote, sicut ego Christi: Item de observatione Iejuniorum, purificatione post partum, aliisque ritibus & ceremoniis, secundum morem & disciplinam Ecclesiasticam, servandis, vel non servandis: Item, de Ecclesiis novis adificandis, & veteribus ruinosis & collapsis, reparandis & restituendis, vel ex iis, quæ fabricæ deputata sunt, vel ex collatione beneficiorum, vel ipsorum potius parochianorum, qui sacramentis & sepultura, aliisque benedictionibus & ministeriis Ecclesiæ utuntur: Item, de Ecclesiarum, cœmeteriorum, religiosarum domuum, aliarumque rerum & personarum ad eas pertinentium, a communibus oneribus, exactionibus, & collectis variis & multiplicibus, tam Imperatorum quam Pontificum decretis & constitutionibus, religionis favore, datis & concessis immunitatibus. Quo ordine pertinent Tituli 39. de censibus, exactionibus & procurationibus. 40. de conse-

cratione Ecclesie & Altaris. 41. de celebr
 Missarum & Sacramento Eucharistia,
 divinis officiis. 42. de Baptismo, & ejus
 43. de presbytero non baptisato. 44. de
 Eucharistia, Chrismatis, & aliorum Sacra
 torum. 45. de Reliquiis, & veneratio
 etorum. 46. de observatione jejuniorum,
 purificatione post partum. 48. de Eccles
 ficandis vel reparandis. 49. de Immunitatibus
 clestiarum, Cæmeteriorum, & rerum ad
 tinentium. Et quia Clerici & Monachi
 quibus hic coniunctim, tantis privilegiis
 munitatibus, Imperatorum & Pontificum
 cretis & constitutionibus, ut modo
 donati sunt, ut divinis ministeriis eo
 intendere possint. Ideo negotiorum
 larium cura, distincte ipsis est inter
 siquidem nemo, secundum Apostolum,
 litans Deo, secularibus negotiis se
 debeat. Unde datur *Titulus 50. & ubi
 Ne Clerici vel Monachi, secularibus
 se immisceant.* Et tantum hic etiam de
 tertio.

Liber quartus

Titulos habet 21.

Superiori Libro de Actibus, gestis,
 & jure Clericorum, tam secularium,

regularium sive Monachorum, vario, ut argumento & objecto audientiae & Jurisdictionis Ecclesiasticae proprio, dictum fuit: nunc ordine compilatores huius Juris in hoc libro, actum sive contractum subjiciunt matrimonialem, hoc quidem jure, Laicis feretantum proprium & peculiarem: propter institutionem divinam, divinique mysterii effectum, ad solam Ecclesiasticam cognitionem, audientiam & jurisdictionem pertinentem: adeo quidem, ut nedum principaliter, sed etiam, privilegio quidem incidenter, de eo, temporalis, secularis, sive Laicus Judex, cognoscere, ullo modo se intromittere possit. Omnes igitur quaestiones matrimoniales, tam quoad districtum, quam contractum, pro Ecclesiasticis ac spiritualibus, hoc praesertim jure, habentur; proindeque in Ecclesiastico Consistorio solo, agitari, ventilari, disceptari, cognoscari, judicari, diffiniri, ac determinari debent. Quod tamen apud alios controversiam non caret, ut alias dicitur fusius. Quaestiones autem, causae, sive tractatus matrimoniales, in hoc libro a compilatoribus propositae, secundum ordinem & seriem Rubricarum consideratae, sunt istae. *De sponsalibus & matrimoniis, in genero sub Titulo 1. In specie vero de desponsatione inter duos impuberes, vel unum puberem, alterum impuberem, an & quando scilicet ea valida rataque sit, nec ne,*

ub Titulo 2. De clandestina desponsatione
 est, quæ clandestine, id est, sine testibus,
 actibus, sive bannis, denunciationibus,
 λόγοις, benedictionibus Ecclesiasticis,
 sine consensu eorum, quorum in potestate
 sunt contrahentes, & sine consensu
 quorum in potestate sunt contrahentium
 ne interventu aliorum solemnium, sive
 sive de consuetudine requisitorum. Contra
 ca opponuntur, quæ palam, testato, &
 bus istis solemnibus intervenientibus
sub Titulo 3. De sponsa duorum, sub Titulo 4.
 hoc est, de promissione matrimonii, ut
 demque tempore duobus vel duabus
 utra prævalere debeat, priorne, aut
 rior. *De conditionibus apposis in desponsationibus,*
 & aliis contractibus sub Titulo 5.
 Hæ in multipli sunt differentia: Aut
 expressæ sunt, aut tacitæ: aut ad præteritum
 aut ad præteritum, aut ad futurum
 pus diriguntur: aut licitæ sunt, aut illicitæ
 aut possibiles, aut impossibiles: aut
 stæ, aut turpes, aut inhonestæ: aut
 tivæ, aut casuales, aut mixtæ. Et
 sponsatio conditionalis, cui pura &
 opponitur. *Qui Clerici vel voventes, matrimonium contrahere possint, vel non possint.*
*Titulo 6. ubi deciditur, eos Clericos, & in
 minoribus ordinibus constituti sunt, ut
 cet Acoluthus, Exorcista, Lector, O...*

cantor sive Psalmista, licite matrimonium contrahere posse. In sacerdotio vero & sacris ordinibus constitutus, non posse. Sacerdotii gradus & ordines tres numerantur, summus, medius, & minimus. In summo gradu sacerdotii, constitutus est Pontifex Romanus. In medio gradu constituti sunt Episcopi: quorum rursus tres sunt distincti ordines, major, medius, & minimus. In majori Episcoporum ordine constituti sunt quatuor Patriarchæ sive Primates, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus: In medio Archiepiscopi sive Metropolitanæ, quorum hodie in Imperio Romano tres numerantur præcipui, Moguntinus, Colonienfis, & Trevirensis: In minimo sunt reliqui Episcopi, simpliciter & in specie dicti. In minimo sacerdotii gradu, constituti sunt Presbyteri. In sacris ordinibus, constituti sunt Diaconi & Subdiaconi. Et hi omnes matrimonium hoc jure contrahere prohibentur. *Voventes* porro hic dicuntur, qui votum castitatis & continentie Deo voverunt: Idque vel simpliciter, vel solenniter. *Simplex votum* est, quod nuda tantum promissione factum est, nec ulla vel ordinis professione, vel habitus susceptione, vel gestione munitionum. Et hoc impedit matrimonium tantum contrahendum, sed contractum non dirimit. *Solenne votum* contra est, non nuda
tan-

tantum promissione factum, sed ordo
 fessione, & habitu munitum. Et
 tantum impedit contrahendum, sed
 contractum dirimit & dissolvit. *Ad*
 ordinis professione, & voti emissionem
 re matrimonium quandoque impeditur
 tamen impedimentum hodie in Eccle-
 stris, a Pontificio fermento repurgatis
 mis fundamentis & rationibus aboli-
 & sublatum. Solet etiam sapissime
 foro quæri *de eo, qui duxit in matrimo-
 quam polluit per adulterium, sub Titulo*
 Quod matrimonium toleratur sine ma-
 tione, hoc est, nisi alteruter conjux,
 cti conjugis vitæ, ad huc finem, ut
 ultero vel adultera sua, conjuge sub-
 fidiatus fuerit. Item, *de conjugio*
rum, sub Titulo 8. an scilicet impedi-
 & inhibendum sit contrahendum, vel
 ctum dirimendum. Et quidem si a
 bus utrinque contrahatur, impediendum
 est. Unde leprosus, qui continere non
 non possit, si inveniatur miseram aliquam
 sibi nubere, velit: & e contra, leprosa
 miserum aliquem, qui se ducere velit:
 conjugium impediendum non est. Quod
 sponsalibus pendentibus, alterutri lepra
 veniat, quam sanus detestetur, ad imple-
 promissum cogi non debet. *Constitutum*
 to vero matrimonio per concubitus,

utriusque vel alterutri superveniens, illud non
 dissolvit. Quod in alio morbo fontico quo-
 unque verum est: ad exemplum scilicet fu-
 ris, qui alterutri vel utriusque ex conjugibus,
 post consummatum concubitu matrimonium
 superveniens, illud non dirimit. Item de
conjugio servorum (& dispari conditione, ut
integriores codices addunt) sub Titulo 9. An
 scilicet illud inhibendum & impediendum sit,
 nec ne. Et quidem *Iure Civili Romano*, in-
 ter servos, vel cum servis & ancillis, matrimo-
 nium contrahi non potest: propterea quod
 eo jure inter liberos & cives tantum Roma-
 nos, matrimonium recte contrahatur, cujus
 servi & ancillæ non sunt participes: proinde
 si servi cum ancillis iungantur, conjunctio ista
Iure Romano, non matrimonii, sed contu-
 bernii appellationem habet: Et servus & an-
 cilla conjuncti, eo jure non conjuges, vir &
 uxor, sed contubernales dicuntur. *Iure ve-*
ro Divino & Canonico, quoad Sacramenta,
 cum inter liberum & servum nullum sit di-
 scrimen: hæc servorum conjunctio, æque
 acque inter liberas personas, coniugi & ma-
 trimonii appellationem meretur. Et hoc ve-
 rum est, si inter scientes utrinque conditio-
 nem suam matrimonium contractum est.
 Quod si quis per errorem duxerit uxorem an-
 cillam, quam existimabat esse liberam: vel si
 qua per errorem nupserit servo, quem existi-
 mabat

mabat esse liberum: cognito errore
 to statu & conditione conjugis, ab eo
 pune divertere, & alii matrimonio
 potest: non, quod ad nuptias contra
 hoc jure libertas necessario requiritur
 quod errantis nullus sit consensus,
 nuptiæ non consistunt. Quod tamen
 quiritur, ut & quasi dotem (nam ver
 ter errantes nulla est) restituat, qui
 rem, quasi liberam, ancillam duxit:
 vel novus consensus, vel copula carnalis
 errorem compertum, nulla interventu
 pro novo consensu habetur. Item, *de*
ex libero ventre, sub Titulo 10. An
 matris liberæ, an patris servi statum
 tionem sequantur, & sic, vel pro liberis
 servis habendi sint: quæ ex superiore
 det. Et quidem *ex c. unic. b. t. patris*
 ad libertatem, sequitur ventrem, hoc
 tum & conditionem matris: non tantum
 pore nativitatis, sed etiam gestationis
 ceptionis: nam quocunque horum
 rum mater libera est, partus quoque liber
 Idque favore libertatis, rei pretiosissimæ
 inæstimabilis, receptum est. Quod
 ex servo ventre liber genuerit, vel ex
 liberis genitum fuerit: non tantum
 libertatem, sed etiam quoad originem
 nores & dignitates, patris conditionem
 tur. Item, *de cognatione spiritali sub Titulo*

An scilicet ea, matrimonium vel contrahendum impedire, vel contractum recte dissolvere possit? Et posse utrumque hoc jure definitum est. Est autem *cognatio spiritualis*, vinculum, necessitudo, sive attinentia quædam, ex Sacramenti baptismatis collatione, vel ad Sacramentum susceptione, vel per Catechismum etiam, vel confirmationem, contracta. Quæ hoc jure mire ampliata est, & ad multas personas porrecta: post *ex Reformatione Concilii Tridentini*, ad pauciores coangustata & restricta: *hodie* in Ecclesiis nostris, a fermento Pontificio expurgandis, prorsus sublata & abolita. Item *de cognatione legali*, contracta per adoptionem & affinitatum, ex copula habita, cum consanguinea uxoris vel sponsæ suæ, vel sponsa sui consanguinei, ut in prima collectione additur recte, *sub Titulis 12. & 13.* Recte dico in prima Decretalium collectione, *ad Tit. 13.* addi (vel de eo qui cognovit sponsam consanguinei sui:) nam de eo, qui cognovit consanguineam suæ sponsæ, est *c. 9. h. t.* De eo vero, qui cognovit sponsam vel uxorem sui consanguinei, est *c. 3 & 6.* Et parum, aut nihil hoc casu refert, cognoverit constupraveritve cognatam uxoris suæ, vel sponsam, vel uxorem sui consanguinei, ante aut post contractum matrimonium, ut videre est *ex c. 3. 5. & 7. h. t.* Nihil etiam refert, cognoverit eam naturali-

raliter, ut natura fert & ratio postulare
 ro extra ordinem, ut patet ex d. c. 7. de
consanguinitate & affinitate (naturali)
 quatenus cognatio inde orta, matrimo-
 nium contrahendum impediatur, vel contra-
 rimatur & dissolvatur *sub Tit. 14. Consanguinitas*
 in jure civili, est species agnationis, di-
 tur tantum pro fraternitate germana
 eodem patre venit: hic accipitur generum
 pro cognatione omni, & jure sanguinis
finitas autem in utroque jure est jus nec
 dinis, quod devincti inter se sunt uxores
 gnati mariti: & e contra, maritus, & con-
 uxoris. Item, *de frigidis & maleficiis*
 est, de impotentia reddendi debitum con-
 gale, vel ex naturæ vitio, ætate putat
 quodam morbo: vel maleficiis, sive ma-
 artibus contracta: qui legati, devincti, & con-
 incantati, & maleficiati vulgo dicuntur
 & quatenus scilicet hæc impotentia, ma-
 nium vel contrahendum impediatur, vel
 tractum dirimat & dissolvatur *sub Titulo 15.*
de matrimonio contra interdictionem Eccle-
gis vel judicis) *contractio*: quatenus
 illud impedimentum præstet, vel non præ-
 stet *Titulo 16.* Item hic quaeritur: An & quomodo
 ex hujusmodi conjugis illicitis, putativis
 & putativis, liberi nati, legitimi sint, vel
 sint: & quomodo vel per subsequens ma-
 trimonium, vel rescriptum Principis Spiri-

vel Temporalis, quoad spiritualia vel tempo-
 ralia, vel aliis modis legitimari possint, vel
 non possint, *sub Titulo 17. qui filii sint legiti-
 mi.* Item hic quæri solet, *qui matrimonium*
 (ob impedimentum aliquod juris vel divini
 vel humani, naturale vel accidentale, animi
 vel corporis, ut injustum, illegitimum & in-
 urile, vel ad separationem, vel aliam poenam)
accusare, & testificari contra illud recte possint,
vel non possint: num ipsi conjuges, consan-
 guinei, cognati, propinqui, num extranei,
sub Titulo 18. Item qui quæri solet, post ac-
 culationem & probationem rite peractam de
 matrimonio, ex justa aliqua causa, jure vel
 divino, vel humano, vel utroque approbata,
 puta adulterii, Sodomiae, aliusve impurita-
 tis, peccati, criminis, vel delicti publici, de-
 sertionis malitiosæ, machinationis, insidia-
 rum & periculi vitæ, hæreses, & infidelitatis,
 severitæ, furoris, impotentiae, vel naturalis vel
 accidentalis, monasterii ingressus utriusque
 vel alterutrius conjugis, altero consentiente,
 & similis: vel quoad vinculum & foedus, vel
 quoad thorum & mensam tantum legitime se-
 parando, *sub Titulo 19. de divortio.* Item
 quæri solet regulariter post solum matri-
 monium, supradictorum modorum aliquo,
 vel etiam morte alterutrius conjugum, de do-
 te, & donatione propter nuptias, vel lucran-
 da, vel ob adulterium admittenda, bonisque

D

com-

communiter quaesitis (quanquam in dolo marito, & de solis ejus bonis acquiescunt) aequaliter inter conjuges dividis, *sub Titulo 20. de donationibus inter uxorem, & de dote post divortium reddenda.* Et denique hic quaeri solet, solentis rite nuptiis vel morte vel divortio novis, secundis, puta tertiis, quartis, iam ulterioribus repetendis: an scilicet fieri possit, nec ne, *sub Titulo 21. & alibi secundis nuptiis.* Et tantum hic etiam de quarto.

Liber quintus

Titulos habet 41.

Superioribus proximis duobus libris, causis, actibus & contractibus, clericis & laicis propriis & communibus, quantum quidem illi ad audientiam, & jurisdictionem Ecclesiasticam pertinent, dicitur: nunc ordine compilatores hujus in hoc libro, ultimo loco, causas criminales similiter clericis & laicis vel communibus sternunt. Materia igitur objectum libri, sunt varia crimina, delicta & maleficia Ecclesiasticorum vel etiam Laicorum, quae ad audientiam forumque Ecclesiasticum pertinent, & quae in judicio Ecclesiae accipiuntur.

tur, quorumque rei ad pœnam Canonicam deponuntur. Causæ autem istæ, secundum seriem Rubricarum, hoc ordine hic proponuntur & tractantur.

His primo loco ipso *Processus* præmittitur *sub Titulo 1. de Accusationibus, Inquisitionibus & delationibus.* Sicuti enim in judiciis, civilibus, causæ per actiones in iudicium deducuntur: ita in judiciis criminalibus, ordinario modo, per accusationes: Extraordinario vero modo, vel per inquisitionem, proprio motu ex officio, vel ad alterius delationem, susceptam, crimina & delicta, iudici innotescunt. Et sic in una eademque causa, Iudex, & accusatoris & Iudicis simul officio, favore publicæ tranquillitatis, cujus interest delicta & crimina patefieri & puniri, impune fungitur: quod tamen regulariter est prohibitum. In quibus tamen, si quis dolose, fraudulenter, iniuste, temere, calumniose, & vexandi alterius causa, litem movisse detectus fuerit, ut calumniator punietur. Cujus pœna est, vel suspensio, vel motio ab ordine, vel fustigatio, vel talio sive similitudo supplicii, vel alia extraordinaria. De qua *sub Titulo 2. de Calumniatoribus.*

Processu ad hunc modum præmissio, ipsa nunc ordine crimina & delicta subjiciuntur. Et primo quidem, *delictum sive crimen Simonia*, ut cæteris detestabilius, ita etiam utriusque

Testamenti traditione, gravius puni-
 dictum a *Simone Mago*, qui cum domi-
 tatis, manus impositione, per gratiam
 Sancti, ægrotis ab Apostolis collatum
 nia ab iis emere vellet, damnationis la-
 am a Petro audivit: pecunia tua re-
 in perditionem: quoniam donum De-
 stimasti pecunia possideri. *Athor. 8. 3.*
cum multis seqq. c. qui studet. 1. q. 1.
 latur etiam *cupiditas Gieziica*, a Giezi
 Elisæi, qui cum idem sanandi donum
 disset Naaman, principi militiæ Regis
 rum: in ejus facti pœnam, lepra, qua
 man laborabat, affectus fuit 2. *Reg. 5. d. 1.*
studet 1. q. 1. Committitur autem
 in genere, cum res spirituales, vel spiri-
 annexæ, cum temporalibus committitur
 atque ita veluti nundinatio quædam
 lium rerum instituitur, ut in duobus mo-
 ductis exemplis videre est. Ejus etiam
 sunt, cum Episcopi sive Prælati vices suas
 est, jurisdictionem Ecclesiasticam, & pre-
 das suas, sub annuo censu precioque alii-
 cedunt: vel exigunt aliquid pro con-
 facultate docendi, ac Magisterii: vel
 etiam Magistri, quibus ab Ecclesia pro-
 ut gratis doceant, pecuniam a discentibus
 gant: quamvis hoc ultimum turpe po-
 erum sit, quam vera Simonia. Hinc de
 Tituli 3. generalis, de Simonia, & m. a.

pro spiritualibus exigatur vel promittitur. 4. specialis, ne prelati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant. 5. Item specialis, de Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Secundum, quod hic traditur, est de hostibus & adversariis religionis & doctrine Christianæ, puræ & orthodoxæ. Qui omnes ad quatuor hasce classes non incommode redigi posse videntur, ut scilicet alii sint, qui doctrinam Ecclesiæ puram & orthodoxam, nunquam sunt amplexi, ut sunt Iudæi, Saraceni, sive Mahometistæ, & similes, puta Paganis sive gentiles, & ex Paganis & Iudæis conflati, Samaritani: *Alii*, qui a doctrina Ecclesiæ semel agnita & amplexata, postmodum in totum & omnino defecerunt, ut Apostatæ, abtrünnige Mammelucken: *Alii*, qui a doctrina Ecclesiæ sana & orthodoxa, semel agnita & amplexata, non quidem in totum defecerunt, sed aliquatenus tantum, puta, in fundamento ejus aliquo, sive articulo aliquo fidei Christianæ, ut hæretici: *Alii* denique, qui a doctrina Ecclesiæ sana & orthodoxa, aliquatenus non quidem in fundamento, sed, vel in applicatione ejus aliqua vera, & interpretatione, vel in rebus mediis & indifferentibus, & ad disciplinam tantum Ecclesiasticam pertinentibus, aberrant, eoque sese ab Ecclesiæ unitate & consensu, sejungunt, ut sunt Schismatici, Sectarii, Anabaptistæ, Vbiquitarii, Flaciani,

ciani, & multi alii. Quorum omnium hic catalogus & nomenclatura, et rariis sacris, Ecclesiasticis & prophanis, terit. Vnde Tituli 6. *de Iudeis & Samaritanis*, & *eorum servis*, (quod scilicet servos Christiana habere & possidere nequeat.) 7. *de hareticis*. 8. *de Schismaticis*, & *ab eis* (pro vere scilicet & legitime ordinatis non habendis, in tantum, ut etiam ab ordinatis removendi sint, nisi cum eis fuerit disputatum :) 9. *De Apostatis*, & *reiteratione schismatis*. Tertium delictum, quod hic persequitur, est *Homicidium* verum & qualiterque simplex & qualificatum, inter extraneos, & cognatos, ac sanguine junctos perpetratum, voluntarium & casuale. Vnde Tituli 10. *qui filios occiderunt*. 11. *de infantibus & senilibus*, *agrotis & debilibus* (a parte matris, domino, patrono, vel extraneo). Ecclesias, portas, curias, vel alium locum publicum, ut ab aliis ex commiseratione colligantur, custodiantur, & educantur) 12. *de infanticidiis*. Quod homicidio sive parricidio non est: necare enim videtur nos is tantum partem suffocat, sed & is qui abicit, & alimoniam denegat, & qui publicis locis misericordiae causa, quam ipse non habet, denegat, ut Paulus eleganter ait in 1. *necare de agnoscend. & alend liber. 12. de homicidio voluntario, vel casuali*: Homicidii] pro

unguntur torneamenta, duella, & ludi Sagittariorum sive balistariorum, quod sapissime per ea, & eorum occasione, homicidia perpetrentur: quibus omnibus, tum pios omnes, tum imprimis Clericos abstinere decet, sub Titulis 13. de Torneamentis, hoc est, conflictibus & congressibus ex condicto, a *Ἰρασιδήλοις καὶ ἐπιφοκιδύνοισι* quibusdam, ad ostentationem virium & audaciæ, innundinis, vel feriis publicis ut plurimum institutis. 14. de Clericis pugnantis in duello (sive monomachia, ad veritatis & innocentia probationem adinventata.) 15. de Sagittariis. Quartum delictum quod hic proponitur, est *Adulterium*, & *ei affine stuprum*, quorum illud proprie in nuptas: hoc in innuptas, virgines & viduas honestas committitur: quanquam hæc differentia, quandoque non attendatur, sub Titulo 16. de Adulteriis, & stupro. Quintum delictum quod hic proponitur, est *furtum* rerum privatarum, & publicarum, profanarum & sacrarum, ut sacrilegium, rapina, & violationes Ecclesiarum, & his similis *usura*, quæ parum a furto distat, & quæ cum his fere conjuncta sunt, *Incendia*, sub Titulis 17. de Raptoribus, *Incendiariis*, & *violatoribus Ecclesiarum*. 18. de furtis 19. de usuria. Sextum crimen, quod hic proponitur, est *Falsum*, hoc est, occultatio vel imitatio veritatis, ad decipiendum, scienter & dolose facta. Quod vel dicto, scri-

D. 4.

pto.

pro, vel facto, vel usu committitur, variis modis, ut alias pluribus dictum fuerit. *Collusio* affinia sunt & similia, *Sortilegium* & *Sortilegium* quæ falsi quandam speciem habent. *Sortilegium* enim est species Idololatriæ, quæ Diabolo in consilium vocato, & certis quibusdam sortibus & signis adhibitis, superstitioso modo, futura prædicuntur, & præterea deteguntur & manifestantur, sed falso, & plerumque. *Collusio* nihil aliud est, quàm inter actorem & reum, latens & fraudulenta conventio, qua id ea compacto agitur, ut inter altero colludente, in causa succumbens vincat; vel quando lusorie, non ex animæ causam agunt, & translatio accusandi munere defunguntur, sponte prævaricantes, & cedentes ultro, prodita causa partis suæ. *Collusio* cum propter hanc mutuam litigantium collusionem sapissime crimina impunita manent. Reipublicæ interest, collusiones istas detegere manifestari & puniri, *sub Titulis 20. de crimine falsi. 21. de sortilegiis. 22. de collusionibus legendæ.*

Cæterum, quod hæctenus de criminibus publicis, tam laicis quam clericis fere committuntur, & eorum pœnis ordinariis & extraordinariis dictum fuit: id de adultis tantum accipiendum est, non etiam de delictis puerorum, non quidem infantum doli incapacium, proindeque nec delinquentium, sed propter

rum pubertati dolique capacium. Hi enim si delinquant, hoc est, levius peccant: vel mitius saltem puniendi sunt, quam adulti: vel venia etiam & commiseratione, pro circumstantiarum qualitate, digni, quod ex animi, consilii, & iudicii infirmitate & defectu potius, quam dolo peccare videantur, *sub Titulo 23. de delictis juniorum.*

Delictis communibus hactenus expositis, subjiciuntur *quedam Clericis propria & peculiaris*, sub districta prohibitione ipsis interdicta, velut professione eorum aliena, & a divinis ministeriis avocantia, ut sunt venationes & aucupia cum retiis, canibus, accipitribus & falconibus, propter feritatem, armorum usurpationem, clamores, cursus, rixas, injurias, pacis violationes & caedes saepe inde secutas, & ne, dum canes, falcones, & accipitres alunt pauperum obliviscantur, eorumque necessitati minus subveniant: nec enim bonum est, secundum Christi dictum: auferre panem filiis, & dare canibus. *Piscationes* tamen moderate & tempestive adhibitæ, ipsis prohibita non sunt, *tum*, quod multorum sanctorum hominum exemplis eæ comprobentur. Huc pertinent item maledicta, convicia, & blasphemia, in Deum præsertim, & sanctos ejus effusæ: Item ministeria sacra & Ecclesiastica, aut contra excommunicationem, depositionem, interdictum: aut citra

ordinationem, ulla: aut prætextu ordi-
 nis illegitimæ, hoc est, vel per saltum
 ram, ad superiores ordines, intermediis
 sis, præpostere ascendendo: vel fur-
 subreptitiæ, hoc est, sine examine di-
 nio prævio, multitudini ordinandorum
 scio ordinatore, se ingerendo, temere
 effectu, obita, sub *Titulo 24. de Cleri-*
natore. 25. de Clerico percussore. 26. de
elicis. 27. de Clerico excommunicato, de
vel interdicto, ministrante. 29. de Cleri-
salutum promotio. 30. de eo qui ordines
suscepit. Denique varii Prælatorum & iur-
 torum eisdem excessus, h. e. injunctio-
 nis & officii transgressiones & præsump-
 nes. Et quidem prælatorum excessus, om-
 & gravamina, quibus subditos suos, in-
 & contra dignitatem, & officium opprimunt,
 varia hoc jura recensentur, utputa, impo-
 indebitæ exactiones, procuraciones, & similes
 usuræ, occupationes, detentiones, subrepti-
 nes, liberationes, iniustæ excommunicatio-
 nes, suspensiones, aliaque interdicta, & similes
 ctiones & diminutiones reddituum, observan-
 nes nimii rigoris, nimia relaxationes rigoris
 disciplinæ necessariæ, singularium cibarium
 exquisiciones, divitiarum & ornamentorum
 studium, inhabilium promotiones, sacra-
 torum conferendorum neglectus & de-
 ctiones, Ecclesiarum aliorumque operum

orum ædificationes, contra denunciationem
 ite factam, nec expresse, vel tacite remissam
 aliaque statuta & privilegia, quæ habet Eccle-
 sia quam plurima, & alia similia contra digni-
 tatis rationem suscepta. Subditorum vero
 excessus, sunt varia crimina & delicta, hacten-
 us enumerata, omnis contumacia & inobe-
 dientia, adversus prælatos & superiores suos,
 & denique omnia ea, quæ vitæ & morum ho-
 nestati & officio repugnant, *de quibus supr. ad*
libr. 3. tit. 1. fufius monui. Vnde dantur *Ti-*
culi 31. de Excessibus prælatorum & subditorum.
37. de privilegiis & recessibus privilegiatorum.
 Hæc igitur crimina & delicta hactenus enu-
 merata, quoties etiam a laicis committuntur
 cum injuria & detrimento Ecclesiæ, toties ad
 forum Ecclesiasticum pertinent: Et absque
 eo, etiam tunc, quando delictum est notori-
 um, vel constat de negligentia judicis secula-
 ris in puniendo, aut satisfaciendo: & indistin-
 cte, si respectu tantum pœnitentiæ in deli-
 ctum inquiratur.

Ultimo demum loco, exitus & eventus ju-
 diciorum criminalium Ecclesiasticorum, quæ
 mitiora sunt, quam Iudicium secularium, &
 sanguinem horrent, hic ostenditur isse, ut si
 reus de delicto aliquo, apud bonos, graves,
 & fide dignos viros, ex probabilibus conje-
 cturis, infamatus sit, quod tamen satis pro-
 bari non possit: *purgatio jurisjurando Cano-*

nica

nica, ad innocentiam suam probatur
 imponatur, qua juret, se talem, qui
 matus fuit, non esse: Compurgatio
 quibus notus est, se credere, diffamare
 jurasse. *Vulgaris vero purgatio*, per
 sive Monachiam, aquam frigidam
 candens, ut impia, superstitiosa, fallax
 probata, ipsi injungenda non est.
 vero crimen imputatum, legitime pro
 fuerit, tandem pervenitur ad injuriam
 per dolum aut culpam, per supradicta
 delictorum & excessuum aliquem, da
 lati, etiam expensarum satisfactionem
 nasque hoc jure usitatas, quibus nulli
 pore præscribitur, poenitentia, puta, in
 sionis, interdicti, depositionis, excom
 cationis, intrusionis, incarcerationis, re
 rationis, characteris sive stigmatis, ser
 privilegii & beneficii privationis, curia
 laris traditionis, inscriptionis, proserp
 exilii, relegationis, honorum omnium
 quotæ confiscationis, multæ pecuniariæ
 pro qualitate delictorum & excessuum,
 rumque circumstantiarum competentes
 forte hæ poenæ, vel remissione, reconcilia
 ne, deletionem, abolitionem, absolutionem
 spensationem, & indulgentiam, vel mitigationem
 sublata fuerint. Quo pertinent *Titulus*
purgatione Canonica 35. de purgatione 36.
36. de Injuriis, & damno dato. 37. de purgatione

de penitentiis & remissionibus. 39. de sententia
Excommunicationis, suspensionis, & Inter-
dicti.

Ultimo tandem loco, supradictum Decre-
taliū seriem & contextum, ad exemplum
Pandectarum Iustiniani, compendiaris ver-
borum, & Regularum Iuris Epilogus, veluti
Porisma quoddam, & ἀνακεφαλαίωσις, fiunt,
terminat, absolvit, & concludit, sub Titulis
40. de verborum significatione. 41. de Regulis
Iuris.

Et hic est omnium tractatum, librorum,
& titulorum, qui in Decreto Gratiani, Decre-
taliū Gregorii IX. Bonifacii VIII. Clemen-
tis V. & Extravagantibus Iohannis XXII. ex-
stant, contextus, series, ordo, Oeconomia &
dispositio: qui enim hic in Decretaliū Gre-
gorii IX. ordo, & libri & tituli continentur,
eadem etiam, paucis exceptis, in Sexto, Cle-
mentis, & Extravagantibus comprehendun-
tur, ut supervacaneum & ædiosum videri pos-
sit, novam hic in iis continuationem, Ex-

egesis, & repetitionem isti tue-
re velle.

F I N I S.







